194)

Oratori Romano de Passaviensi
Episcopatu. Rudolphus etc.

Nobilis etc. de Passaviensi Episcopatu celare te
nolumus, varia nos etsi nondum satis comperta audire,
esse ibi qui nova eaque clandestina consilia molian-
tur. Quae praesentem statum illius turbare quietem
ac tranquillitatem possint. Cum autem Episcopus
ille non solum sac. Romani Imperii fundum sit nosque
in temporalibus superiores agnoscat, sed ditionibus
etiam nostris haereditariis Austriae adeo conjunctus et
vicinus adeoque immixtus atque immeritus sit ut per amplam ibi juris-
dictionem atque opimos reditus plurimaque feuda habeat, quo
nomine multa nostris subditis cum eo Episcopo intercedunt
nostra quamque maxime interesse ducimus, ne quis ibi novus mo-
re occultis quorundam machinationibus suscipiatur, quod in no-
strum aut ditionum nostrarum aut etiam Episcopi adhuc
superstitis, qui multos annos Ecclesiae suae ditionique laudabi-
liter praefuit, praejudicium vergat. Quicquid rei sit, ut aper-
tius intelligamus dum perfidos quosdam Ministros accura-
tius inquirimus, observabis diligenter quam poteris, num
intempestiva ejusmodi consilia autores forte et execu-
tores aliquos etiam isthic in Romana curia habeant.
Quod si compereris, hanc rem ita apud Pontificem Ma-
ximum atque apud alios curandam suscipies, ne temere
fides speciosis talium hominum persuasionibus aut con-
siliis dum nobis aut iis adhibeatur, quorum inter-
sit, nihil hic innovari. Haec autem gerenda sunt dex-
tre, offensionum, quae hinc excitari possint, evitandarum
causa, quod discretioni, industriae vigilantiaeque tuae benigne
committimus. Ut vero certius rem investiges, et ubi advigi-
landum sit, intelligas, scire te solum volumus, de clientibus qui-
busdam Bavaricis, de quibus tamen nulla apud quenquam
nedum apud Pontificem facienda mentio, clam signi-
ficari diversis id rationibus moliri, ut coadjutoria ibi
sive volente, sive etiam nolente Episcopo instituatur.
Quod ne vobis insciis fiat, sagaciter ac dextre, donec
aliud a nobis mandatum accipias. Prag 15. Martij 1591

195)

Oratori Romano de subsidio
Pontificio in praesidio Hungarico.
Rudolphus etc.

Nobilis etc. Quod antehac apud sedem Apostolicam